



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

In Consecratione Monialis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

salutis, & ad utilitatem omnium. Christus non coegit ullum
 pœnis ut suus esset discipulus; Antichristi id erit, nontaceant,
 tamen si lupum venientem videant, prospiciant ne aberret,
 ovis; Meminerint illius quod Greg. 2. Pastor 6. monet. *Qui
 cum curare corporalia funditus negligunt, subditorum neces-
 sariis minimè concurrunt, quorum prædicatio plerumque despicitur,
 quia dum delinquentium facta corripunt, sed tamen eis necessaria
 præsentis vitæ non tribuunt, nequaquam libenter audiuntur. Egen-
 tis etenim mentem sermo doctrinæ non penetrat, si hunc apud ejus
 animum manus misericordiæ non commendat, tunc autem semen
 verbi facile germinat, quando hoc in audientis pectore pietas præ-
 dicantis rigat.* Claudat hunc sermonem monitum synodi
 Sycovianæ Cracovien. cap. 4. ubi &c. Monet Parochos, quod
 omnibus curam animarum habentibus servit. *Ad bonæ guber-
 nationis modum pertinet in rebus agendis dexteritas, suavitas,
 affabilitas, compassio, non indignatio, non pauperum contemptus,
 non avaritia. Ut faciliè agnoscant Parochiani Pastorem suum jure
 officio fungi idque ex mera caritate, quæ est medium efficacissi-
 mum ad lucrandas hominum voluntates.*

In Consecratione Monialis.

Ecce Sponsus venit exite obviam ei. Matth. 25.

ALiquos DEUS ipse transeundo vocat, ut Apostolos, *Se-
 quere me;* ad aliquos misit Angelum ut ad Centurionem
 in Actis Apost. ad aliquos virum aliquem sanctum ut ad Davi-
 dem Nathan Prophetam. Sed ad virgines ex proposito ipse
 venit. Nam pro SS. Virginibus legitur Evangelium vel de
 thesauro, ad hunc venit homo & emit agrum illum: vel de
 Margarita, *dedit omnia sua & comparavit;* vel de decem vir-
 ginibus.

ginibus. *Ecce sponsus venit.* Dicam de hujus Margaritæ thesauri precio ut tantò alacriorem hanc virginem quæ consecratur faciam ad occurrendum Christo.

Postquam creavisset DEUS primum hominem, dixit. *Non est bonum solum esse, dedit adiutorium simile.* Similis Christus primo homini, unde & secundus Adam, quod habet adiutorium? Apoc. *Virgines sequuntur Agnum quocunque jero.* Sed quomodo similes Christo, Cant. *Veni columba mea voca ad se Virginem,* Chrysol. serm. 143. *Semper Angelis cognata est virginitas.* Non per terram ambulat, cum Angelis subvelat. Cùm S. Georgia virgo sepeliretur, grex columbarum supra funus comparuit, & eâ sepultâ in cœlum evolavit, ut scribit Greg. Turon. de gloria Confess. cap. 34. Christus etiam sub speciebus panis non in alio vase olim apud Græcos servabatur, ut scribit Baron. quàm quod fuit in speciem columbæ conformatum, unde S. Basil. Christum vocat *columbam Evangelisticam.* Columbæ Christi sunt virgines, sunt dilectæ, unicæ & propterea sunt ejus thesaurus & Margaritæ. Thesaurus latet in terra, nulli notus, Virgo sic in claustris latet, Conchæ soli rori ora sua aperiunt, Virgo soli orationi ut firorem cœlestem attrahat. *Os meum aperui & attraxi spiritum Pl.* Quod mare in quo hic unio? quis ager in quo hic thesaurus? quod columbarium? Templum, claustrum. Postquam Salomon ædificavit templum, extruxit etiam claustrum Virginum inter altare & parietem templi, ut est apud Nyssen. de humana Christi gener. de his 2. Machab. 5. *Virgines quæ conclusæ erant obtumultum exortum ad Oniam summum. Sacerdotem confugerunt.* Ecce quàm res antiqua virginis DEO sacræ! Sed non tum primò cæperunt. Exod. 38. *Fecit labrum aeneum cum vase suo de speculis mulierum quæ excubabant in ostio tabernaculi.* Hæ mulieres dicebantur exercitus Domini ut
resta

testatur Rabbi Abemacara in l. c. Sed quando hic exercitus primò institutus, à nemine scriptum. Quia sunt thesaurus inventus, qui ut sit talis, opus est ut nesciatur à quo sit in agrò depositus. In lege Christi primam Monialem consecravit S. Mathæus Evang. deinde quæ erant ejusmodi vocabantur aliquando *Diaconissa*, ut est apud S. Clem. l. 2. constit. *Nonna*, ut apud S. Hieron. epist. ad Eustoch. *Sanctimoniales* ut est apud Aug. in Pl. 83. His primus publicos reditus constituit Constant. Magn. ut est apud Niceph. l. 8. hist. cap. 26. His regulas apud Græcos conscripsit Basilius magnus. Hic thesaurus Christi sanctus, quare & vestes quibus teguntur benedictæ sunt. Pro his orat Ecclesia. *Sint hæ vestes salutis protectio, cognitio religionis, initium sanctitatis, contra omnia tela inimici robusta defensio.* Hæ Christo desponsantur per anulum; coronantur ut Reginæ, & uxores. Orat Ecclesia, *ut supra vos permaneat Spiritus S.* Vos dicere potestis Cant. 8. *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Vos quia Christi estis non solum sponsæ, sed etiam ut Ecclesia dicit uxores, estis Affines DEI Patris & Spiritus S. & quia uxor in domo mariti supra omnes plus potest, vos apud Christum præ aliis sanctis, siquidem illi serui sunt, imò supra Angelos, nam & illi sunt administrantorii spiritus, potestis. Vobis in cælo thronus proximus Christo, *Sequuntur Agnum* canticum canetis, quod nemo alius cantare potest. Hinc S. Hieron. contra Jovin. *In omni genere hominum optimus virgo fuit* ut patet in Christo inter viros, in B. Virgine inter mulieres: inter Apostolos eminet Virgo Paulus: inter Martyres Stephanus: inter Evangelistas Joannes &c. S. Aug. Conjugatos comparat stellis, viduas Lunæ, Virgines Soli; hinc similitudo cum Christo.

Margaritæ ex rore concipiuntur, virgines ex illo rore, de quo *Rorate cæli desuper.* Hinc Ecclesia tantam circa illas adhi-

adhibet curam, tantoperè illas vult conservatas, ut nihil magis, hostes illarum, tot maledictionibus obruit ut nullos magis. Audite enim quid dicat hodie. *Authoritate Omnipotentis DEI, & beatorum Petri ac Pauli Apostolorum ejus &c. ut est in Pontificali.* Has in custodiam tradit Abbatissæ, *Vide quomodo istas consecratas DEO serves & representes immaculatas, redditura pro eis rationem ante tribunal sponsi eorum venturi Judicii.* Collaboret illa omni suavitate ut dulce hoc Christi conjugium vobis reddat: collaborate vos omni humilitate & obedientiâ ut illi vos regere non sit amarum, exuistis omnem affectum ac terrena, nolite illum resuscitare per amorem vel minimæ rei temporalis. Memineritis vos habere thesaurum in vasis fictilibus, caveate ne hoc vas in terram decidat & frangatur, ventus ipse, scilicet colloquium incautum, fictilia ad terram dejicit, maximè si in fenestra illi exponatur, non impetatur lapillis munitulorum. Custos illius humilitas, sic enim non habebit quò cadat.

De Eadem Consecratione,

Virginitatis est dignitas, quia Christus voluit nasci ex Virgine. Ambr. lib. de virginic. *Bona est continentia conjugalis, melior continentia vidualis, optima mundities virginalis.* Prima trigesimum, secunda sexagesimum, tertiam centesimum affert fructum. In cœlo Angeli sunt virgines. Adam ante peccatum in paradiso fuit virgo. Matrimonio uti cepit post peccatum & exul. Rursus, est meriti maximi quia, ut Bonav. in 3. dist. 39. *Ubi est major difficultas ibi raris virtutis est majoris præmii & meriti.* At verò Aug. de Christiano agone, *Inter omnia Christianorum certamina, duriora sunt prælia castitatis, ubi continua pugna & rara victoria.* Bern.
serm.